

concurrant plebei omnes philosophi (sic enim ii, qui a Platone, et Socrate, et ab ea familia dissident, appellandi videntur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, quam subtiliter conclusum sit, intelligent. Sentit igitur animus se moveri: quod quum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri: nec accidere posse, ut ipse umquam à se deseratur. Ex quo efficitur aeternitas.

Tusc. I. Cap. XII. A. Expone, nisi molestum est, pri-
mum animos, si potes, remanere post mortem. — M. Aucto-
ribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti
optimis possumus; quod in omnibus causis et debet et solet
valere plurimum: et primum quidem omni antiquitate; quae
quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius
ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Itaque unum illud
erat insitum prisciis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse
in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem,
ut funditus interiret: idque tum multis aliis rebus, tum e
pontificio jure, et caeremoniis sepulcrorum intelligi licet; quas
maximis ingenii praediti nec tanta cura coluisserent, nec
violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in
eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem
atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commuta-
tionemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in
coelum soleret esse; quum ceteri humi retinerentur, et per-
manent tamen. Ex hoc et nostrorum opinione, *Romulus in*
coelo cum diis agit aevum, ut famae assentiens dixit Ennius:
et apud Graecos, indeque perlapsus ad nos et usque ad
Oceanum Hercules, tantus et jam praesens habetur deus:
hinc Liber, Semele natus, eademque famae celebritate Tyn-
daridae fratres: qui non modo adjutores in praeliis victoriae
populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. Quid?
Ino Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Graecis, Matuta